

præclare ad Autolycum notatur , a Dijs veterum familias originem traxisse, (quippe, vt qui ab Hercule Η' εργαλεῖδαι, qui ab Apolline Α' πολωνίδαι & Α' πολωνιοι, qui a Neptuno , inquit , Ποσειδώνιοι , qui a Ioue Διοι & Διογχεῖς) ita qui a Ioue oriundi, Διὸς γοι, quod paulatim factum est Διόνυσοι, sunt dicti. Vnde tot a Cicerone ac alijs hoc nomine commemorantur. Atque hinc tot de Nysa fabulæ ac tricæ, quam in India locarunt. non alia de causa, nisi quod, vt fabulam plerunque trahit fabula, vixisse in India , eamque ex communi Græciæ opinione , quam tot libris noster prosecutus est, virtute singulari debellasse intellectis- sent. Quod , vt cætera ignota Græcis , originem ex Oriente habet. Saba, hoc est σάβα, dicitur Hebræis, quod οἶνοφλυγέννα Græcis (ea enim voce senes sacri hanc interpretantur) hoc est, vino se ingurgitare: vnde sobe σάβα, perdite ebriosus . Saba rursus , siue seba , hoc est σάβα, is Hebræis dicitur ac Pœnis , qui Indorum regionem primus expugnauit. Vt Indorum domitor ac ebriosus, idem sit vocabulo & ortu. Ex vtroque Græculi *Sabasium* ( quod Bacchi apud illos nomen est) finxerunt. Atque hinc illud, quod, vt noster, sic autores reliqui de prælijs in India, ejusque regionis debellatione , tradunt. Iam Iacchum Mysticum, de quo tam multa noster, primi a Bœotis acceperunt Attici. qui & ipsi nomen ab Hebræis trahunt : quibus סָבָא, *hattikim*, quo maxime hos gloriatos notum est , antiqui dicuntur. Nam diuino nomini , vt recte nuper obseruauit vir doctissimus , quod *Iah* Hebræis siue *Iach* , non aliud quam terminationem addiderunt. In quo sibi placuit Diabolus. qui hoc vbique nomen transtulit, aut ipse inuasit. Cæterum hunc Deum, vt, quod est præcipuum,

adda-